2) Non posse additamentum illud, quod in omnibus libris est, librariis tribui, Fulgentio quod ad linguae graecae scientiam attinet imperitioribus, apertum est. — Hos versus ex Orestis fabula desumptos quemadmodum hoc loco Electrae fabulae attribuit, ita eosdem in Virg. Cont. p. 149 errore iterato ad Iphigeniae tragoediam refert.

3) *post deos alios*, quod vulgo editur, mera coniectura est; libri omnes praebent *cum*.

eum, quae vera eaque nullo modo ambigua verborum sententia sit, non perspiciat. — Prorsus simili ratione in libri I fabula 1 lapsus est, ubi de *idoli* vocis veriloquio agit his verbis: *Denique idolum dictum est ido dinin, quod nos latine species idoloris dicimus.* Nihili esse illud *idodinin* manifestum est, quare Munckerus *lege* inquit εἶδος ὀδύνης *ut margo habet editionis Basil. anni 1577 et a Scriverio emendatum quoque erat e. q. s.* Verum ne haec quidem coniectura magnam habet veri speciem; quamvis enim in genere etymologico incredibilia fere proferre hunc scriptorem sciamus, tamen hoc veriloquium, quo *idolum* derivetur ab εἶδος ὀδύνης, tam absurdum est, ut ne Fulgentio quidem tribui posse videatur¹⁾. Accedit quod coniectura illa prorsus desciscit a librorum memoria, sic enim sciendum est in optimis scriptum esse: DOLV, e quo consequens est, scripsisse Fulgentium εἶδος δόλου, quae quidem verba etiam ab etymologia quodammodo ferri possunt. Neque dissimile veri est eum propter litterarum similitudinem ‘doloris’ vocabulo illud δόλου reddidisse.

Sed alia exempla restant multa, quibus scriptorem graecae linguae rudem fuisse comprobetur, velut in libri I fabula 26 haec sunt: *Itaque Medusam quasi μὴ ἰδοῦσαν quod videri non possit* (scil. appellant vel ponunt). Quomodo μὴ ἰδοῦσα dici possit quia videri nequeat Medusa, nemo qui graece scit intellegit; quare Munckerus scriptorem ab hac labe liberaturus: *Pro ‘videri’ inquit malim ‘videre’, nec aliter, si quid video scripserat Fulgentius.* Sed nihil vidit hac in re vir alioquin eruditus; quamvis enim fatendum sit mutationem lenissimam esse, coniectura reiicienda est considerantibus nobis, minime oculorum lumine Medusam carere, sed intueri eam non licere. Falsa igitur scriptoris interpretatio non corrigenda est.

Quoniam in ἰδεῖν verbo versamur, statim alterum locum subiungam, quo similiter labitur in vertendo: scribit enim in libri II fabula 13: *Mida enim graece quasi μηδὲν εἰδῶν id est nihil sciens.* Pro μηδὲν εἰδῶν Munckerus codicis L vestigia secutus maluit μηδὲν ἰδῶν, vero Jacobsius p. 422 adnotat: *Col. (scil. Go) ‘midenidon’.* *supra: ΜΙΔΕΗΙΔΟΝ* i. e. μηδὲν ἰδῶν. *quod ipsum est in Mythogr. Vatic. II. 118 p. 115 Bod. At nisi in vertendo hallucinatus est Fulgentius, verum sit non ἰδῶν, sed εἰδῶν.* Reliqui autem libri et hoc loco et in libri III fabula 9, ubi idem veriloquium repetitur, tradunt *midenidon* vel *midenulon*, id quod per se eodem iure pro εἰδῶν quam pro ἰδῶν accipi potest, nam ei plerumque simplici i littera reddi solet; sed praeterquam quod εἰδῶν forma prorsus nulla est, ipsum Midae nominis veriloquium suadet μηδὲν ἰδῶν, ita ut scriptor εἰδῶν et ἰδῶν formas confudisse censendus sit.

Aliam duorum verborum confusionem habemus in libri II fabula 14, ubi, ut Eri-chthonii nominis etymologiam comprobet, Thaletis Milesii verba affert: ὦ χθῶν δόξης κομικῆς κτήρης, *id est invidia mundanae gloriae consumptio.* Primo quidem aspectu non videtur dubitari posse, quin pro χθῶν scribendum sit φθόνος, sed suo iure editores, ignari illi quid libri manuscriptorum proderent, χθῶν vocabulum receperunt, nam antecedenti versu

1) Idem cadit in Zinkii coniecturam suadentis in dissertatione accuratissima, quae inscribitur ‘Der Mytholog Fulgentius’ (ed. Virceburgi a. 1867) p. 33, εἶδος ὀδύνης.

scriptor χθών *vero* inquit *non solum terra quantum etiam invidia dici potest*, et ad hanc alteram vocabuli vim confirmandam Thaletis testimonium affert. Neque tamen ipsum Fulgentium scripsisse ὡ χθών evincunt libri, qui communi consensu tradunt: *octonos cosmiceps tarsia*, unde in fonte quem exscripsit fuisse ὁ φθόνος suspicari licet; nihilo tamen setius haec vox non erit reponenda, quod si faceremus ipsum scriptorem corrigeremus, qui procul dubio scripsit ὁ χθόνος. Cum autem eum hoc loco consulto falsa proferre atque vocabuli χθών tanquam remotiorem significationem ostentandae doctrinae caussa commemorare veri vix sit simile, non dubitabimus hoc ad ignorantiam eius referre.

Vocabulum κτέρης, quod vulgo editur, non agnosco in litteris traditis *tarsia*; imprimis autem mirum est, quod omnes libri pro κομικῆς praebent *cosmiceps*. Haec vero scriptura haud dubie rursus prodit communem librorum archetypum, in quo si quid video *cosmiceps tarsia* duabus litteris transpositis scriptum erat pro *cosmices ptarsia*, hoc est κομικῆς φθάρσις¹⁾.

In libri I fabula 12 de corvo docet: *etiam secundum Pindarum solus inter omnes aves sexaginta quatuor significationes habet vocum*. Vel ex hac Pindari commemoratione scriptoris ignorantiam licet cognoscas; bene enim adnotat Zinkius p. 68: *Die erwähnung des Pindar, der ebenfalls der stimme des raben bedeutsamkeit zuspreche, scheint auf die übrigens vollständig missverstandene stelle Ol. II 156, παγγλωσσία, κόρακες ὡς, ἄκραντα γάρυετον zurückzugehen, worin freilich das directe gegenheil von dem ausgesprochen ist, was der autor belegen will*.

In libri II fabula 15 Semeles nomen etymologice explicatur per σωμάλιον, quod nos latine *corpus solutum* dicimus. Utriusque linguae verba exaequare studens Jacobsius p. 423 *fuisse videtur* inquit *in archetypo* ΣΩΜΑΛΥΘΕΝ. *Propius foret* ΛΥΟΝ, *sed tum latina interpretatio esse deberet* 'solvens' non 'solutum'. Sed una cum ipso veriloquio codicum consensus (*somalion*) commendat σῶμα λύον. — In libri I fabula 26 haec sunt: *Prima* (scil. Gorgo) *Stheno*, σθενώ enim *graece debilitas dicitur, unde et ἀσθένειαν infirmitatem dicimus*. Σθενώ igitur et ἀσθένεια vocibus collatis non sentit, quae in α illa vis insit et utrumque vocabulum idem fere significare opinatur. — In libri III fabula 12 haec leguntur: *Arethusa vero quasi ἀρετικά* (libri paulo rectius tradunt *arcteis* i. e. ἀρετή ἴσα) *id est nobilitas aequitatis*. At si graeca verba per duo substantiva reddere volebat, scribendum erat 'nobilitatis aequitas'. — In libri I fabula 7 Parcarum nomina tria perverse interpretatus scribit: Κλητός²⁾ enim *graece evocatio dicitur, λάχησις vero fors nuncupatur, ἄτροπος quoque sine ordine* (sic!) *dicitur*.

Eodem modo hallucinatur Fulgentius in proxima fabula, qua de Harpyiarum nominibus haec docet: Ἀέλλω (immo Ἀελλώ enim *graece quasi ἐλών ἄλλο*³⁾ *id est alienum tollens. Ocyrete id est citius auferens*⁴⁾. — In libri II fabula 14 haec habes: *Aglauro vero quasi ἀχό-*

1) De Thalete Milesio cf. Zinkium p. 79.

2) Vulgo editur κλώθω; equidem cum optimis libris (praebent enim 'clitos') κλητός reposui.

3) Pro ἐλών ἄλλο in libris est 'edonallon', ortum illud librariorum errore ex ΕΛΩΝΑΛΛΟΝ.

4) De hac etymologia cf. Zinkium p. 33.

ληθον *id est* tristitiae oblivio. Pro ἀχόληθον, quod sane monstrum, est libri has tradunt varias scripturas: *Haconleron* PV 1, *haconleron* R 1 G 2, *aconlerom* M, *aconleron* G 1 P 2, *anconleron* B, *acolereron* G 0; Mythogr. Vat. II fab. 40 exhibet *accoloren*. Haec, quam ultimo loco posuimus scriptura cum Gothani codicis memoria comparata Jacobsio p. 473 eo ducere videtur *ut legamus* ‘aceos lete’ *id est* ἀχεος λήθη, *aut quod propius ab* ‘lereron’, ‘ληθεδων’; poeticas enim formas et vulgares promiscuas habere Fulgentium. Verum ab etymologia Jacobsii coniecturas ferri non posse apertum est; *lauro* enim et ληθεδων excepta *l* littera nihil inter se commune habent. Equidem librorum scripturarum et veriloquii (e Fulgentii indole) simul ratione habita scribendum censeo ἀχέων (vel ἀχών) λήρος vel λήρον, quamvis huic coniecturae obstet interpretatio latina; postquam enim tot scriptoris errores enumeravimus, hanc quoque falsam interpretationem ignorantiae eius attribuire licebit. — In eiusdem libri fabula 3 haec exstant: *Theophrastus*¹⁾ *in Moralibus ait*: τὰ ἄλλα περίγνῳθι *id est* reliqua considera. Hoc loco nec falsa interpretatio nec vocabulum περιγινώσκειν, quod a graeca lingua alienum est, Fulgentio imputanda sunt; omnes enim libri exhibent *talipranoti* *id est* τὰ λοιπὰ γνῳθι. — In libri III fabula 1 haec leguntur: *Unde et Epicharmus comicus ait*: Δαμαστής²⁾ ἔρωσ λεοντεία δύναμει θαλερός *id est* domitor *cupido leontea virtute praesumptior*³⁾. Haec graecorum verborum conversio manifestum scriptoris ignorantiae praebet exemplum; noli enim dubitare, quin ille in θαλερός voce comparativam formam inesse ratus latinum *praesumptior* posuerit, quod vocabulum quam non respondeat graeco vix est quod dicam.

In Virg. Cont. p. 149 profert Orestis Euripideae versus his verbis: *Sicut Euripides in tragoedia Epligenia ait*:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὡδ’ εἰπεῖν ἔπος
οὐδὲ πάθος, οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος,
ἦς οὐκ ἂν ἄραιτ’ ἀχθος ἀνθρώπου φύσις.

Quodsi cum his latina verba comparaveris, scriptorem aliqua ex parte sentire potius, quae in verbis insit sententia, quam prorsus perspicere concedes; sic enim vertit: *Non est aliquid pessimum nec accidentia extrema, quod non pertulit humana natura.*

Sunt praeterea haud pauci loci quibus ea quae de scriptoris ignorantia diximus comprobentur; verum cum sat superque nobis attulisse videamur, iam deinceps paucis demonstrabimus, quomodo haud raro ipsa graeca verba deformaverit Fulgentius aut prorsus nova et inaudita finxerit. Velut in libri II fabula 2 haec sunt: *Minerva denique et ἀθήνη graece dicitur, quasi ἀθανάτη παρθένη id est immortalis virgo.* Editores contra codicum auctoritatem scripserunt ἀθάνατος παρθένος. — In eiusdem libri fabula 10 hoc Medae nominis veri-

1) De Theophrasto cf. Zinkium p. 84.

2) Δαμαστής vocabulum, quod posterioris linguae proprium est, diserte indicat, ab Epicharmo verba illa profecta esse non posse; praeterquam quod, metricam rationem et dialectum si spectas, poetam prorsus non redolent.

3) Iniuria Munckerus pro *praesumptior* scribi *praesumptuosior* iubet; illa enim forma exstat apud Corippum Laud. Ioann. 4. 550.

loquium profertur: *Medeam* (scil. *voluerunt*) *quasi auditum, hoc est μηδὲν ιδέαυ, quod nos latine nullam visionem dicimus*. Pro μηδὲν ιδέαυ cum codex Gothanus exhibeat *menideam*, Jacobsius in lectione illa fortasse μηδεμίαν θέαυ¹⁾ latere suspicatur; sed e reliquorum librorum memoria luculenter apparet scripsisse Fulgentium μηδὲν ιδέαυ pro μηδεμίαν ιδέαυ. — In libri I fabula 3 hoc modo de Neptuno nugatur Fulgentius: *Quem ideo graece etiam Posidona nuncupant quasi ποιούυτα εἶδην, quod nos latine facientem imaginem dicimus*. ποιούυτα formam latinis verbis accommodatam de suis videntur dedisse editores, quippe quae minime in codibus appareat, qui haec habent: *Pionidonam* R1, Πιονιδόνα L, *pionii donan* G0, *ponidonan* P2, *pionidonan* reliqui. In his scripturis procul dubio latet ποιούυ εἶδόνα; litterae enim *m* et *n*, quae eodem modo nomini *Posidona* annexae sunt, librariis debentur, qui graecis accusativis in *α* exeuntibus consonantem litteram affigere solent; illud autem accusativi monstrum scriptorem εἶδος et εἰκόνα confundentem posuisse credibile est. — Aliam duorum vocabulorum confusionem habemus in libri I fabula 14 in his verbis: *Tertia μελομένη quasi μέλην ποιουμένη id est meditationem faciens*. Hoc autem loco neglecta codicum auctoritate scripserunt editores μελέτην: neque hoc ipsum vocabulum scriptori obversatum esse veri est dissimile. Praeter alia multa hoc veriloquium aperte docet, quam fuerit graecae linguae rudis Fulgentius, qui etymologiam tam perspicuam non perceperit. — In libri II fabula 15 haec sunt: *Secunda* (scil. Baccha) *Autonoe quasi ANTHNOY NOH id est se ipsam non cognoscens*. Et graecas quidem litteras libri manu scripti hoc modo reddunt: *autenunoe* MP, V1, R1, B, *autonunoe* G1, *antenimoe* P2, *auteminoe* P3, *autonouree*, supra ΕΑΥΤΗΝ ΜΙΝΟΟΥΜΗ G0. Hac Gothani libri fide innisus Jacobsius p. 423 genuina verba repositurus proponit εαυτήν μη νοούα. At vel nominis de quo agitur etymologia eum docere debebat nihili esse graeca verba quae in codice illo superscripta sunt²⁾. In reliquorum autem librorum cum vix aliud lateat nisi hoc: Αύτην ού νοή scriptor linguam graecam novo adiectivo ditasse censendus est; quemadmodum etiam in eis quae secuntur inaudita vocabula sibi finxit. — In libri II fabula 10 haec exstant: *Tertiam* (scil. Solis filiam) *Circe, tactui similem id est quasi diceret circenre* (sic libri) *graece, quod nos latine manuum iudicium dicimus*. In genuina scriptura e codicum turbis eruenda *Dirce* nominis veriloquium, quod in eadem fabula extrema legitur, auxilio erit; patet enim Fulgentium utriusque vocis syllabam alteram eadem ratione explicasse, cum scribat: *Circe saporis index* (haud dubie legendum est *index*) *quasi drimoncrine quod nos latine acre iudicans dicimus*. Et hoc quidem loco me iudice scribendum est δριμόν³⁾ κρίνη, quamvis utrumque vocabulum a graeco sermone abhorreat; illo autem loco apertum est verbi *cre* litteras *in* in archetypo intercidsisse⁴⁾ et reponendum

1) Zinkius p. 34 per errorem affert Jacobsium suasisse μηδεμίαν ιδέαυ.

2) Accedit, quod μή particula pro ού quae in reliquis libris apparet posita sat dilucide indicat graeca verba secundum latinam translationem a librario aliquo efficta esse: quode cf. Quaest. Fulg. p. 69 sq.

3) Revera Fulgentium adiectivum δριμός pro δριμός finxisse, alter locus e Virg. *Cont.* desumptus testis esto; p. 151 enim haec sunt: *Drepanos enim quasi drimipedos, drimos enim graece acer dicitur*.

4) Mirum est quod idem librorum mendum iterum redit in eiusdem libri fab. 12, ubi Circes veriloquium repetitur.

esse κρίνη, in *ciron* autem litteris χειρών inesse nemo non videt. In libri III fabula 7 Lycomedis nomen etymologice explicatur his verbis: *Lycomeden enim graece quasi γλυκὸν μηδὲν id est dulce nihilum*. Pro γλυκὸν codicis sui scriptura *cliconmedon* motus Jacobsius p. 427 suadet γλυκερόν; verum et nominis etymologia et librorum ductus aliam formam videntur postulare, praebent enim: *cliconmeden* PV1.M.R 1, *clicomeden* G 2, *ciclonmeden* B, *licomedon* G 1, *liconmeden* P 1, *licomeden* P 2, quare scripsisse Fulgentium probabile est γλυκὸν μηδὲν pro γλυκὸν μηδὲν. — In libri II fabula 16 Ladae nomen derivatur a λοιδή *quod nos latine aut iniuriam aut conviciium dicimus*. Cum libri uno ore tradant *lide* (idem codd. Vatic. Mythogr. III, 3. 6), revera λοιδή vocis monstrum a Fulgentio videtur profectum. Duobus locis scriptor verbum ἀπόλλειν profert pro ἀπολλύναι; scribit enim in libri I fabula 11: *Apollinem Solem dici voluerunt, ἀπόλλων enim graece perdens dicitur* et libri II fabula 16: *nam graece Pollux ἀπὸ τοῦ ἀπόλλειν id est a perdendo*.

In Virg. Cont. p. 164 haec habes: *nam et Maricam ducit nympham quasi mericam id est cogitationem*. Pro *mericam* Zinkius p. 35 dubitanter proponit μήτιδα, quod vocabulum quamquam translationi latinae aliqua ex parte satisfacit, prorsus tamen veriloquio repugnat, ut de libris taceam, qui consentientes *mericam* exhibent; nec non ea quae secuntur demonstrant, scriptorem vocabulum illud a μερμηρίζω derivatum velle; pergunt enim: *unde et Homerus ait: Στήθεσσιν λαίοισι διάνδιχα μερμηρίζεν*.

Iam postquam plurimis eis ad persuadendum satis appositis exemplis illustravimus, quam non temere dixerimus linguae graecae scientiam a Fulgentio fere prorsus abiudicandam esse, pro huius dissertationis brevi spatio paucos locos liceat tractare, qui vel emendationem vel explicationem requirere videantur.

Locus 'πολυθρύλητος', quem dicit De-Brinkius in Philologi vol. XI p. 588, est in libri I fabula 2, ubi haec eduntur: *Hellanicus in Dios polytychia quam descripsit ait e. q. s.* Mira in his verbis emendandis Vossii mens fuit pro πολυτυχία, quod vocabulum a lingua graeca abhorret, suadentis πολυτοκία vel πολυτεκνία, nam utraque coniectura cum per se veri parum similis tum a librorum ductibus improbabilis est. Idem cadit in Sturzii coniecturam πολυπτυχία a Westermanno improbatam (cf. Vossii hist. gr. p. 31), quae per placet Muellero (Hist. gr. fragm. I p. XXXI), 'quamvis de sensu vocis paullo aliter statuendum' putet; in eis autem quae secuntur ipse Muellerus πολυμυχία scribi iubet, quae quidem mutatio, litteras traditas si respicimus, non magis nobis commendatur quam De-Brinkii illa qui l. l. confidenter Διός φυσιολογία proponit. Sed ne Zinkio quidem me iudice erit assentiendum, titulum ab ipso Fulgentio fictum esse ratio; postquam enim exploravimus, quatenus calleat scriptor linguam graecam, graecorum librorum inscriptiones ad ipsum referre dubitabimus. Sed iam non id agitur, unde originem traxerit titulus ille; quaeritur tantummodo quid Fulgentius scripserit, idque nos latere non poterit, haec si sequimur librorum vestigia: *diospoltihia* M. R 1, *diospoltia* B, *diospholtichia* G 1, *diospoliti ubi a(quam)* G 2, *diospolti ubi a(quam)* P 3, *diospoltichia* G 0, *dispoltia* P 2, Commode autem in verbis restituendis proficiscemur ab optimorum librorum scriptura *diospoltihia*, et quemadmodum supra p. 30 manifesto exemplo demonstravimus in libro archetypo nonnunquam litteras transpositas exstitisse, ita hoc quoque loco de litterarum turba cogitare licebit, cum prae-

sertim vocabulum graecum, quod a πολτ incipiat exstet fere nullum: quare suadeo pro 'polthia' 'polithia', hoc est ΠΟΛΙΤΗΙΑ vel ΠΟΛΙΤΕΙΑ; atque fieri potuisse, ut scriptor aliquis, sive Hellenicus sive alius fuit, de imperio Iovis vel 'de civitate dei' libellum conscriberet, nemo non concedet.

In libri I fabula 14 haec leguntur: *Et alio loco* (scil. Homerus ait) οὐ κλέος εὐρὸ καθ' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος (Odys. α' 344). Haec Homeri verba e recentioribus codicibus in verborum continuitatem videntur irrepsisse pro genuinis, quae in omnibus libris mscr. quos quidem inspexi, exstant: *peuteto gar cypronde mega cleos* (Iliad. Λ' 21). Neque unde hoc factum sit difficile est ad intellegendum; nam si in codice aliquo graeca verba omissa erant, doctior aliquis librarius, qui ea restituenda curaret, Homeri versum in quo vocabulum κλέος inerat, reposuit suo arbitrato, nam praeter consuetudinem scriptor hoc loco interpretationem latinam, quae correctori rectam ingrediendam viam monstrare debebat, omisit. Restituenda igitur sunt verba haec: Πεύθετο γάρ Κύπρονδε μέγα κλέος.

In eadem fabula fere media haec sunt: *Quarta* (scil. musa) θάλεια, *id est capacitas, velut si dicatur* τῑθεῖς θάλειαν, *id est ponens germina: unde et Epicharmus comicus in Diphilo comoedia ait:* θαλὸν ὡς οὐ βλέπει βούλιμος ἐπέταξεν, *id est, germen dum non videt famem consumit.* Haec verba prorsus corrupta esse primo patet aspectu. Primum enim suspicionem movet veriloquium illud, quo Thaliae nomen explicatur per τῑθεῖς θάλειαν, quia nemo intellegit cur τῑθεῖς forma apposita sit, cum θάλεια vox ad interpretandum nomen sufficeret. Tum vero, quid sibi in Epicharmi verbis θαλὸν vocula velit, non perspicitur; agitur enim de θάλεια vocabulo et hoc ipsum in poetae verbis insit necesse est, cum Epicharmi versu allato scriptor uti solet comprobare studeat, a graeca lingua non abhorreere illud vocabulum. Deinde nec memoriae traditum nec per se credibile est, Epicharmum Diphilum comoediam scripsisse. Denique ipsa Epicharmi verba obscuriora sunt quam ut mendorum suspicionem procul habere possis. Nobis iam pristina verba indagaturis proficiscendum erit a τῑθεῖς θάλειαν vocibus, ut inde appareat, quodnam vocabulum in versus illius initio reponendum sit. Quodsi ad libros confugimus, haec se offerunt variae scripturae: *thythonlia* R1. M, *tithonlya* B, *titonlia* P3, *tythonlia* G1, *tithNlya* G2, *tyΘonaya* G0. Iam quid Fulgentius scripserit non longe videtur repetendum, nam libri una cum interpretatione latina suadent τῑθῶν λεία vel λήϊα; τῑθῶν enim forma pro τῑθεῖς scriptori, ut est linguae graecae fere rudis, indulgenda est. In Epicharmi autem verbis quid lateat non tam facili opera eruemus. Et editores quidem de loco sanando desperaverunt, velut Munckerus, qui Leidensis codicis scriptura allata *quid inquit inde exsculpi possit videant alii*; unus quod sciam Jacobsius verba redintegranda suscepit p. 417 sq. Priusquam igitur nos ad emendandum locum agredimur, quid ille profecerit, quod vereor ut hac in re multum sit, erit examinandum. Atque comoediae quidem titulum postquam misere depravatam esse agnovit dictaque difficile esse quid reponendum sit concessit, sic pergit: *Fuit Epicharmi comoedia* ἌΦΑΙΣΤΟΣ ἢ Κωμασταί, *in qua illa verba legi potuerunt, illud vero nomen an in ΔΙΦΙΛΟΣ transierit, alii iudicent.* *Ipsa autem verba sicut in editionibus leguntur vehementer suspicor magis ex editorum ingenio quam ex libris provenisse . . . In nostris membranis:* ἈΗΜ ΦΙΛΩΗΗ ΑωΗtio aptiNN *i. e. germina tum viderit famem consumit', quae monstri sunt instar.*

Reputans autem, codicis nostri scribam, hominem graecarum litterarum ignarissimum, litteras α, Α, Λ, Δ, tum H et N, C, O, Θ, Φ ubique permutasse, suspicor illum in archetypo hoc fere legisse:

(ΘΑ)ΑΗ Δ'ΕCΙΔΩΝ ΔΗ ΠΑΥΕΙ ΤΑΝ ΠΕΙΝΑΝ.

Graeca quae posui latinae interpretationi ad amussim respondent; sed haec ipsa interpretatio num genuina sit, an ad arbitrium facta, incertum est. Quod ad comoediae titulum attinet, e re erit, non prius coniecturam facere quam, utrum omnino tribui Epicharmo verba necne queant, diiudicaverimus. Verba autem latina, quorum ad amussim Jacobsius graeca posuit, fateor me non intellegere, nam procul dubio corrupta sunt; praeterea eiusmodi emendandi ratione probata ex omnibus sane omnia facere licebit. Etenim ut omnes illos librariorum errores Jacobsio largiamur, verba ab ipso posita in Gothani litteris frustra quaesiveris. Mira quidem in hoc genere librariorum mixta libidini ignorantia accidisse nemo nescit; attamen omnibus qui unquam committi potuerunt erroribus in unum locum collatis perit evidentiā. Accedit quod vir doctus loco medicinam allaturus sententiarum nexus omnino rationem non habuit, quod si fecisset, nego eum in versus initio θάλη vocabulum positurum fuisse: nam antea codex quo usus est pro τῆεῖc θάλειαν praebet *tyθonaya*; denique metricam rationem si spectas, non minus Jacobsii verba quam codicis litterae monstri instar sunt¹⁾.

Zinkius de loco desperans duas ait vel tres exstare in libris varias scripturas, ita ut fere diiudicari nequeat, quam imprimis in loco emendando innitendum sit; verum non tres, sed duae tantum inter se variantes scripturae traduntur, quarum alteram nescio e quo codice recentiore in editiones illatam valde suspectam esse iam supra significavimus. Ne multus sim in re simplici, valet in his verbis idem quod iam aliquoties significavimus (cf. Quaest. Fulg. p. 69 sq.): librarius aliquis doctior, cuius in exemplo graeca verba ommissa erant, illa de suo dedit latinae interpretationi accommodata. Quae cum ita sint, suo iure Lorenzius (*Leben und Schriften des Koers Epicharmus* p. 295) verba quae vulgo eduntur Pseudepicharmiis inseruit.

In libris autem haec sunt: *Epicarmus in difolo*²⁾ *comoedia ait*³⁾ *germina*⁴⁾ *dum*⁵⁾ *non*⁶⁾ *viderit famem*⁷⁾ *consumit*

1) Zinkius p. 77 haec scribit: *Allein abgesehen davon, dass sich zwei bis drei ganz heterogene lesarten in den handschriften finden, sodass sich schwerlich wird bestimmen lassen, welche die richtige und ursprüngliche sein möge, ist auch in der von Jacobs versuchten reconstruction nicht eine spur von rhythmus wahrnehmbar. Dazu vermisst man darin die wortform θάλειαν, die geradezu unentbehrlich ist, da der Musenname Thalia erklärt werden soll. Auch lässt sich in der stelle kein entsprechender sinn entdecken.*

2) Unus G1 praebet *difilo*, P2 et 3 *diffolo*.

3) Graeca verba separatim in uno conspectu posui, ut inde facilius appareret, quomodo litterae litteris responderent. Desunt graeca verba in cod. P3, in cod. M a manu prima ommissa postea addita sunt.

4) *iermina* P3.

5) *cum* B, *tum* Go.

6) Negandi particulam omiserunt L G1 Go.

7) *fames* P2.

R1 X H I Λ M Θ I Δ u' N λ Y M ω T I¹⁾ Θ λ P T I N N I
 B α N I α X ph — α O N — — — — T I ω Λ P T I N N I
 M λ N I λ M Φ — λ ω N — — — — T I Φ λ P T I N N I
 L A E I A M C Y A²⁾ O N L I M A T I C A P T I N N I
 G1 Λ C I Λ M C Y λ Λ N L I M Λ T I C Λ P T I N N I
 G2 Λ H I Λ M Θ I Λ ω N Λ — M ω τ I Θ Λ P T³⁾ — N N I
 P2 λ τ ι ι' m ε Y Δ ω H λ Y u O T I ζ λ p t i H N I
 G₀ A H — — M Φ I A ω H⁴⁾ A — — ω t i O α p t i N N I

Interpretatio latina, quae graecis verbis restituendis ansam praebeat, dolendum quod non satis explanata est. Ex optimorum autem librorum auctoritate videtur scribendum esse: *Germīna dum non viderit famem consumit*, atque hanc fere sententiam in verbis inesse putaverim: 'Si quis arva vel segetes, quae ei tanquam edendi cupidinem iniciant, non videt, famem reprimit vel diutius tolerat'. Graeca autem verba indagaturi ne prorsus in incerta labamur singulae librorum litterae inter se comparatae praecavebunt. Atque in quattuor quidem primis litteris quin λήϊα vox lateat non dubito, Λ enim et A dici fere nequit quotiens a librariis confusae sint; item H et N quia utraque littera signo ambiguo scribebatur. Tum vero quae secuntur litterae particulam μή efficere suspicor; deinde tertium vocabulum evadit ἰδών, quartum λιμόν, quintum τίς. De reliquis fatendum est haud mediocrem dubitationem nasci; fortasse tamen non sine probabilitatis specie conici potest, inesse in litterarum vestigiis formam ἀποτείνη, cum enim omnes qui exstant libros ex uno eodemque archetypo mendoso fluxisse certum sit, non veremur ne audaciores habeamur si unam litterulam o post ἀπ intercidissee suspicamur; pro τείνη autem usitate per iotacismum scriptum est TINHI. Verba igitur quae eruimus haec sunt:

λήϊα μή ἰδών λιμόν τίς ἀποτείνη

quibus haud male respondet interpretatio latina: *germīna dum non viderit famem consumit*, nisi quod ἀποτείνη et 'consumit' non prorsus congruunt; verum circumspicienti non aliud se mihi obtulit vocabulum, quod illius instar ab externa quam dicunt probabilitate sese commendaret; alii igitur meliora proponant. Iam quaeritur, possintne verba illa Epicharmo tribui necne. Et metricam rationem si respicimus, a poeta non videntur aliena, efficiunt enim versus Epicharmii qui dicitur (i. e. tetrametri trochaici) partem hoc modo:

— — λήϊα μή ἰδών λιμόν τίς ἀποτείνη — —

Remanent tamen nonnulla quae explicatione egeant. Observavit Lorenzius, in Epicharmi

1) T et I posui pro Π quae est in codice; item Guelferb. 2 litteram quartam distraxi, ut Λ et M evaderent.

2) Litteram M, quam praebet codex inter A et O, supra omisi, utpote quae in ceteris libris non haberet cui responderet.

3) Pro TIN liber exhibet N atque tres litteras ita coaluisse, ut illa nota nasceretur, veri non est dissimile.

4) Simplicem H scripsi pro duabus quas liber tradit. — Ceterum librorum ductus typis accurate exprimi non posse vix est quod dicam.

versibus dactylum ab altero pede alienum esse, cui legi, si in universum valeret, facile eo satisfaceremus, ut λήϊα pro trochaica voce acciperemus scribentes λῆα¹⁾. Sed omnino non videtur opus esse hac mutatione; nam cum apud alios poetas dactylus in illa sede nullo modo inusitatus sit, non habemus cur hanc licentiam ab Epicharmo abiudicemus; ex paucis enim illis quae ad nos pervenerunt fragmentis non licet conclusionem facere de tota metrica ratione quam inierit poeta ut potius casu factum videatur, quod nullum exemplum dactyli in altero pede positi exstat²⁾. Tum vero hiatus ille, qui intercedit inter vocabula μή et ἰδών, offensionem non habet, quia Epicharmi tempore digammae vim non omnem interiisse permulti versus testantur. Denique coniunctivi formam quam posuimus suspicari licet e particula aliqua in enuntiati initio posita pependisse velut:

[αἶ κεν] λήϊα μὴ ἰδών λιμόν τις ἀποτείνη etc.

Superest ut, cui fabulae scriptor versum attribuerit, paucis explicemus. Jacobsii quidem coniectura supra allata a litterarum traditarum similitudine prorsus non commendatur neque eadem de causa probanda erit coniectura Zinkii (p. 77) de Philoctetae fabula cogitantis. Non improbabiler autem, ut nobis videtur, C. Bursianus in Zarnckii diariis ('Centralblatt') a. h. s. LXV p. 118 a librorum scriptura *lifolo* profectus coniecit titulum illum nonnullis litteris elapsis misere corruptum pertinere ad fabulam quae inscribitur Ἡρακλῆς ὁ παρὰ Φόλω.

Locus multum vexatus³⁾, qui etiam nunc medicinam exspectat, legitur in libri III

1) cf. Eustath. ad Iliad (B v. 147) p. 193, 34: Τὸ δὲ αὐτὸ (λήϊον) καὶ λάϊον Δωρικῶς λέγεται διὸ συνελών ὁ Θεόκριτος λαῖον αὐτὸ λέγει, ὡς περ αὐθις τὰ λήϊα λῆα ποιεῖ ἢ συναίρεσις, καθὰ καὶ τὸ λῆϊδιον λῆδιον' e. q. s. Ut, quod ad dialectum attinet, sui similior evaderet Epicharmus, scriberem λάϊα pro λήϊα, nisi prorsus periret etymologia Thaliae nominis; praeterea autem libri mscr. diserte indicant Fulgentium ea quam receperimus usum esse forma.

2) Ne quid taceam, unus qui opponi possit exstat apud Lorenzium p. 232 versus hic: Καὶ κκιφίας χρομίος e. q. s.: quae verba ad legis illius normam correxit Ahrensius scribens: Καὶ κκιφίας χρομίος θ' e. q. s.

3) Interpretum quasi crucem fuisse hunc locum longa series doceat virorum doctorum, qui eum emendandum vel explicandum susceperunt:

Casaubonus ad Suetonium tom. II p. 101 (vitae Aug. c. 76).

Jac. Gronovius in Exercitt. de Dodone p. 36.

Fabricius in Biblioth. gr. I p. 612 (Harl.).

Jac. Hasius: Hist. critiq. de la républ. litt. tom. X p. 200.

Fr. Ritschelius in Schedis criticis p. 35 (Opusc. vol. I p. 730 sq.).

Anonymus in censura dissertationis Ritscheliana, quae est in Diurnis scholast. a. 1832 p. 942 sq.

Grasshofius in Diurnis scholast. a. 1831 p. 548 sq.

de Leutschius in Ephem. litter. Hal. a. 1831 p. 219.

Gaisfordius in Hesiodi fragm. p. 198.

Bernhardyus in Comment. de Dionysio Periegeta p. 504.

L. Spengelius in Diariis antiquitatis studiorum a. 1835 p. 208.

Heringa in Observationibus crit. p. 21 et p. 303.

Goettlingius in Hesiodi ed. prima p. 208, ed. altera (a. 1843) p. 255 sq.

Fr. Jacobsius p. 425.

G. Hermannus in Opusc. VI, 1 p. 257.

fabula 1, ubi haec sunt: *Proctus Pamphyla lingua sordidus dicitur, sicut Hesiodus in bucolico carmine scribit dicens: PEPRIGROSIS TA FULVE ULACTIS MENES EMORUM, id est, sordidus uarum bene calcatarum sanguineo rore.* Atque ut verba graeca indagaturi a librorum memoria proficiscamur, monendum est a litteris supra positis codicum vestigia fere non differre, nisi quod pro PEPRIGROS¹⁾ alii produnt *peprigos* (PV1, R1, M), alii duabus transpositis litteris *pepigros* (B, G2), duo autem libri (G1, L) exhibent *pritos*, unus (P2) *pepritos*, praeterea silentio non est praetereundum in omnibus codicibus pro Προϊτος semper *Pritos* scriptum exstare. Antequam autem de ipsis verbis dicamus, removendum est Gothani libri testimonium, utpote quod a reliquis prorsus abhorreat. Litterae ibi haec sunt: ΠΡΟΤΟCCΤΑΦΟΥΛΟΗ ΚΑΛΟC ΛΑΚΤΕC tu HΑΙΜΑΤΙΟC ΔΡΩΧΟC: e quibus acriter haec verba eruit Jacobsius p. 425: προϊτος σταφυλῶν καλῶc λακτητῶν αἱματόειc δρόcοc. Quid multa? Haec quoque verba ad illud interpolationum genus spectant, de quo fusius disputavimus Quaest. Fulg. p. 69 sq. Et luculenter hoc loco graeca ad latinae interpretationis normam efficta esse ex eo apparet, quod in hoc libro *bene* vox redditur per καλῶc, in reliquis per εὔ; deinde pro reliquorum librorum *emoru* habemus αἱμάτιοc; accedit quod voculae alicuius graecae quae *rore* verbo respondeat in reliquis ne vestigium quidem apparet.

Verba autem graeca ab ipso Fulgentio composita esse rati multi erunt qui vanam in eis restituendis impendi operam censeant, id quod Ritschelius quoque significat²⁾, cum Opusc. vol. I. p. 730 sq. haec scribat: 'Hodie non defuturos suspicor, qui in Heringae sententiam concedant ab Hermanno probatam p. 258, commentum semibarbarum in Fulgentii verbis agnoscentis, quod effictum sit e versu 300 Scuti Herculis: βριθόμενος σταφυλῆcι μελάνθησαν γε μὲν αἶθε. Ab ipso Hesiodo Ungerus quoque Fulgentii memoriam segregavit, in codicum scripturis *Hesiodus in bucolico carmine* vel *H. in bucolico ludicro*³⁾ latere *Euphorio in Hesiodo* satis audaciter coniciens.' Nobis autem, postquam quatenus graecae sciret Fulgentius haud paucis exemplis docuimus, paullo aliter de loco statuendum videtur; sive enim revera illa ex Hesiodo desumpsit, sive, ut deciperet legentes, verbis Hesiodi nomen praeposuit, hoc certum est, ipsum illa qualiacunque sunt neque effingere neque conglutinare potuisse.

Marckscheffeli in Hesiodi fragm. p. 365 sq.

Welckerus in Musei Rhen. vol. I (a. 1833) p. 422.

Ungerus in Philologi vol. IV (a. 1849) p. 723.

Lerschius in libro qui inscribitur 'F. Pl. Fulgentius de abstrusis sermonibus' p. 13 sq.

Zinkius p. 75.

1) Typothetae errore illud PEPRIGROS natum videtur pro PEPRIGOS, cf. Munckeri adnotationem.

2) cf. Zinkium p. 76: *Da wir es somit aller wahrscheinlichkeit nach mit einem falsificat zu thun haben, so wäre es vergebliche mühe, wiederholte versuche zur reconstruction des angeblich hesiodischen verses zu machen.*

3) Scriptura illa *in bucolico ludicro*, quae etiam in nonnullis editionibus veteribus apparet, nescio quibus comprobetur libris manuscriptis; in nostris cum nihil eiusmodi sit, suspicari licet eam recentioribus debere codicibus, nec veri videtur valde dissimile voce *bucolico* librorum errore repetito natum esse illud *ludicro*, quod deinceps effecit ut *carmine* vox intercideret.

Omniū virorū criticorū, qui in verbis restituendis versati sunt, conamina afferre allataque perpendere cum longum sit, satis habeo Ritschelii coniecturas adscribere, quippe quae a litterarum similitudine ceteris omnibus longe praestent ob eamque rem dignae sint a quibus proficiscamur. Verba autem ab illo proposita haec sunt:

Προϊτος σταφυλήφι

Εὐ λακτιζομένης αἰμορρόψ — ὤ έέρρη.

Et σταφυλήφι formam sustentandi versus caussa positam non dubitamus comprobare, quamvis non accurate respondeat litteris traditis, quia totum locum maiorem labem traxisse vel inde apparet, quod in graecis omnino non exstat vox, ad quam *rore* illud latinae interpretationis pertineat¹⁾. Nec quae subsecuntur verba tam simpliciter quam certo restituta esse negari potest. Forma autem αἰμορρόψ utrum vere locum habeat, an quod a librorum memoria propius abest αἰμόρροον vel αἰμόρροον praestet, e verborum sententia diiudicetur necesse est. Iam venimus ad id in quo rei cardo vertitur: quaeritur enim, quid in primis litteris traditis lateat. Secundum totum sententiarum nexum Fulgentiique consuetudinem requiritur in verborum initio vocabulum, quod simillimum sit nomini Proeti vel potius Priti, ita ut nomen ab eo possit derivatum videri, simulque *sordidi* significationem habeat. Eiusmodi autem vox cum omnino non exstet, viri docti simpliciter προϊτος nomen posuerunt, iniuria me iudice; quomodo enim ex illa voce librorum optimorum scriptura *pepigros* oriri potuerit, non video. Postquam autem, qualis sit scriptor verborum graecorum interpres, satis cognovimus, non multum latinam conversionem curantes nihilominus a vero non aberrabimus voce substituta, quae non solum a Priti nominis etymologia quodammodo ferri possit et litteris traditis quam accuratissime respondeat, verum etiam una cum ceteris verbis aptam praebeat sententiam. His autem condicionibus omnibus unice respondere formam πεπρηθώς non veremur ne legentibus non statim persuadeamus. Atque eum librorum litteris vocabulum prorsus congruit; nam si in archetypo scriptum erat ΠΕΠΡΗΘΟΣ vel potius per iotacismum ΠΕΠΡΙΘΟΣ, facile librariorum alii, Θ et Γ litteris inter se commutatis, scripserunt PEPRIGOS, alii PEPRITOS (nam Θ littera plerumque simplici T redditur), in altera autem codicum familia aut casu intercidisse syllabam PE censendum est aut a librario aliquo doctiore consulto positum PRITOS. Rursus igitur in vertendo lapsus esse scriptorem apertum est, et vel inde colligas eum veram vocis vim non perspexisse, quod ut eam defendat ad Pamphylam linguam recurrit. De ipso autem nominis veriloquio non habeo quod addam, nam hoc absurdiora attuli multa. Scribendum ergo est:

πεπρηθώς σταφυλήφι

Εὐ λακτιζομένης αἰμόρροον — ὤ έέρρη.

1) In his cum propemodum nihil tam inauditum sit, quin Fulgentio tribui possit, coniecit quispiam scriptorem vocabulum αἰμόρροον reddidisse verbis *sanguineo rore*, ita ut *rore* voci responderet illud *ροον*, praesertim cum haud raro in graecorum verborum locum vertendo substituat latina, quae illorum externam aliquam similitudinem prae se ferant.

quod sic vertendum erit: 'emittens¹⁾ uvae bene calcatae sanguineum rorem', ita ut exempli caussa in hunc fere modum expleri possit et versus et sententia:

πεπρηθῶς σταφυλῆφι

Εὐ λακτιζομένης αἰμόρρουον ληνὸς ἔέρσην.

Gravius etiam corrupta verba sunt, quae in libri III fabula 5 leguntur: *Ergo Berecynthiam montibus praeesse dixerunt quasi verni cynthos. Cynthos enim Attica lingua flos nuncupatur, unde hiacynthus dicitur quasi ἰάκυνθος, quod nos latine solus flos dicimus, quasi omnibus perfectior. Nam et Epicharmus ita ait: Παγκάρπιος στέφανος καὶ περὶ ἀκτῶν προβαττεῖ ἡ χρυσάλος id est florigera corona atque e litoribus procedit Chrysalus.* Ad haec sananda proficiscendum est a κύνθος voce, quem florem attica lingua appellari Fulgentius affirmat. Libri praebent *cintos, cinthos, quintos*, similia, et revera illum tale quid scripsisse testes sunt Berecynthiae et Hiacynthi nominum veriloquia. Frustra autem quaesiveris eiusmodi vocabulum graecum, in quo floris significatio insit: quare scriptorem aut legentes consulto decepisse aut ipsum graviter lapsum esse credendum est. Et ut tribus verbis quid sentiendum sit complectamur: ipse Fulgentius pro ἄνθος sic scripto *cinthos* legit 'cinthos²⁾', unde natae sunt prodigiosae illae etymologiae. Rem autem revera ita se habere confirmabunt ipsa Epicharmi verba in integrum restituta. Pro ἰάκυνθος cum in libris sit *ioscinthos*, scribendum est οἶος ἄνθος (pro οἶον ἄνθος) quod nos l. solus flos n.

Iam vero neque Epicharmi verba neque eorum interpretationem latinam ullo pacto sana esse posse primo quasi aspectu patet. Nam ut primum de latinis verbis dicam, summam suspensionem movent verba *florigera corona et e litoribus procedit* copula atque inter se coniuncta; exspectamus enim aut altero quoque loco (pro *e litoribus*) adiectivum, quo Chrysalus ille depingatur, aut copula eiciatur necesse est. Graeca autem verba cum per se obscuriora sunt tum cum latinis non congruunt. Praeterea considerantibus nobis, quem ad finem scriptor Epicharmi verba attulerit, statim apertum est ab eius verbis vocabulum *cinthos* vel ἄνθος abesse non posse, cum poetae testimonio comprobare velit hanc vocem apud graecos scriptores usitatam esse. Quae cum ita sint, verba quae vulgo eduntur a Fulgentio originem ducere non posse certum est atque dubitari nequit quin graeca docto alicui librario debeantur, qui ea latinae interpretationi eique corruptae accommodaret. Et reapse codices prorsus alia verba exhibent:

PV 1: *Cintos id est iste fisoro cedranctes eprobebece crisallos idè florigrece coronatus atq. ebrius processit crisallus*

R 1: *Cinto idesistefiforos cedrancte se probebece crisallos i e florigere coronatus atque ebrius processit crisallus*

1) De hac verbi vi cf. Iliad. Π, 349 sq.

— — ἐνέπλησθεν δέ οἱ ἄμφω

αἵματος ὀφθαλμοί, τὸ δ' ἀνὰ στόμα καὶ κατὰ ῥίνας
πῆγε χανῶν.

2) Silentio non est praetermittendum diu ante me idem coniecisse Bursianum, quam coniecturam qua est liberalitate mecum per litteras communicavit; me autem ut ei assentiret imprimis movit scriptura codicis P 1 *antos*, quae simul docet, quam facile c i et a inter se commutari potuerint.

M: *Cinctoides iste siforos cedrante se probebece crisallos* (latina cum R1 consentiunt)

B: *Cintoides iste frifros cedranctere probebecce crisallus i e florigere coronatus atque ebreus processit crisallus.*

P2: *Cintha id est fiforos cedranctes erroberere cecrisallos, id est florigere flos coronatus atque ebrius processit crissallos*

G1: *Cintoides iste siforos probe cris allos.*

G2: *Cintoides iste fiforos cedranctese probece crisallos*

L: *Cintoides iste fiforos probe beeris albos id est floriger et coronatus atque ebrius processit crisaltus.*

Priusquam hunc locum, quoad eius fieri potest emendandum aggrediamur, respiciendus est Jacobsius, qui verba redintegrare conatus p. 426 haec scribit: '... locum (scil. membranae) sic exhibent Nam epicarmus ita ait *Cintoides iste siforos beris allos i florigere coronatus atque ebrius processit cristallus* De κύθος noli credere Fulgentio atticam esse vocem pro άνθος usurpatam, in primo autem Codd. vocabulo *cintoides i* fortasse *anthesi*, άνθεσι latet. Reliqua autem sic procul dubio legenda: στεφηφόρος προϋβη τις άλλος. Latinis verbis *atque ebrius* in graecis membranarum nostrarum nihil respondet. Hoc fortasse eruendum e lectione editionum και περι άκτών, in qua κραιπαλών latere suspicor. Totum locum sic fere concipias:

(τότ') άνθεσι στεφηφόρος και κραιπαλών
προϋβη τις άλλος.'

Horum autem verborum, si quid video, unum στεφηφόρος probandum est; de reliquis aliter erit statuendum. Prorsus enim Jacobsium fefellit opinio cum pro *crisallos* suaderet τίς άλλος, id quod dici nequit quam sit frigidum languidumque; sed ut hoc ei largiamur, non est idonea ratio in promptu, qua interpretationis latinae nomen *Crysalus* explicari possit. Χρύσαλος igitur nomen, quod in omnium librorum vestigiis facile agnoscitur, eo magis retinendum est, quia prorsus comoediam sapiens testatur verba si non ex Epicharmo, tamen e comoedia aliqua¹⁾ fluxisse. In eis quae nomen antecedunt προβέβηκε formam unusquisque agnoscet; in primis autem litteris non est dubium quin άνθώδης vox lateat, quae bene convenit cum latino *floriger*²⁾. Quibus si addidero in duabus litteris *ce*, quae στεφηφόρος vocem excipiunt, και inesse, dixerō fere omnia quae probabiliter conici posse mihi visa sunt. Jacobsius autem in voce restituenda quae respondeat latinae *ebrius* (sic enim cum libris pro *e litoribus* legendum esse manifestum est) iniuria innititur editis verbis και περι άκτών, nam haec non corrupta, sed secundum interpre-

1) Cogitavi de Menandri 'Δις εξαπατών' comoedia, quam Plautus in Bacchidibus imitatus est, cum non solum huius fabulae Chrysalus persona sit, verum etiam ipse Fulgentius hanc comoediam commemoret (in libri III fabula 1 ubi haec scribit: *Nam et Menander in Disexapaton comoedia ita ait: Βουληφόρος τήν ήμετέραν Δημέα προκατέλαβες θρασιν*, quode cf. Meinekii comic. gr. fragm. I p. 115 et Ritscheli Parergon Plaut. vol. I p. 415 sq).

2) Neque hoc Jacobsium fugit, nam p. 426 *Novissimum* inquit *vocabulum pro servi nomine habetur, quod tamen non minus ambiguum quam alia in vulgata lectione, quae non ad librorum fidem edita, sed ad latinam interpretationem, graecis additam, accommodata videntur.*

tationem corruptam posita esse iam supra significavimus. Equidem hanc lacunulam aliorum ingenii coniecturis committo explendam, libere confitens, frustra me in traditarum litterarum (*dranctere* vel *dranctee*) locum vocabulum substituere conatum esse, quod illarum similitudinem prae se ferret simulque *ebrii* notionem haberet.

Paucos locos Virgilianae continentiae liceat addere:

P. 145 haec sunt: Πάσα τύχη αἰθέριον φρονούντος κατοικεῖ *id est omnis fortuna habitat in sensu sapientis*. Cum codex Go. haec exhibeat: ΠΑCΕΤΙΚΕ ΕΝ ΡΟΥ ΦΡΟΝΟΥ ΚΑΤΙΚΟΕ, Jacobsius scribi iubet πᾶσα τύχη ἐν νοῖ φρονούντος κατοικεῖ, iniuria: nam haec quoque verba, quae accurate latina reddunt, interpolatori attribuenda esse ceteri libri testantur, qui edita verba tradunt.

P. 156 haec habes: *Caron* (Charon) *vero quasi Cronon id est tempus*. In optimis libris pro *Cronon* (χρόνον) est *corun*, quare suadeo *ceron*, id est καιρόν.

P. 164 haec exstant: *Turnus enim graece dicitur quasi turonus id est furibundus sensus*. Recipienda hoc loco Jacobsii coniectura, quam e codicis sui auctoritate fecit scribens θεῦρος νοῦς. Quo veriloquio exposito sic pergit scriptor: *Contra omnem enim furiam sapientiae atque ingenii arma reluctant, unde et Homerus ait macesex*. Pro *macesex* Munckero probante Scriverius coniecit μαχητής, equidem autem suaserim μάχης ἕξ, nam mea opinione verba graeca mutilata sunt, quoniam prorsus non intellegitur, quid ad ea quae antecedunt confirmanda sibi velit simplex vocabulum μαχητής. — Prorsus autem corrupta verba sunt, quae p. 165 leguntur: *Unde et Euripides in tragoedia Ephigeniae ait: Hic est insuperans*. Latina verba e graecis orta esse perspicuum, est neque haec coniectura testimonio Palatini codicis *uc estin* pro *hic est in* prodentis improbat. Facile autem est ad intellegendum, quid scripserit Fulgentius. Euripidearum enim fabularum excepta Orestis tragoedia novit nullam et huius ipsius fabulae quinque tantum versus primos, quorum tres affert p. 149 (ubi falso ad *Ephigeniae* fabulam eos pertinere contendit), duos in *Myth.* libri III fabula 5 (quos iniuria *Electrae* tragoediae tribuit). Iam cum hoc loco de voce ἔπος agatur et versus pro librorum auctoritate verbis οὐκ ἔστιν incipiat necesse sit, procul dubio recte locum habet primus Orestis fabulae versus:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος.

43

DE CLAUDIANI
CODICE VERONAE NUPER REPERTO

COMMENTATIO CRITICA

LUDOVICI IEEP.

Disputationem de codice Veronensi satis memorabili editurus hoc libello, qui F. A. ECKSTEINII auspiciis tesseræ hospitalis instar viris doctissimis offertur his ipsis diebus ex omnibus Germaniæ regionibus clarissimam urbem nostram adeuntibus, facere non possum quin præfationis loco pauca præmittam. Impellit enim me animus, ut publice quam habeo gratiam referam cum omnino administrationis Italiæ liberalitati, qua ut aliis semper qui studiorum criticorum causa ex Germania in Italiam concurrerunt, sic mihi eius terræ bibliothecas perscrutanti, quaecumque studia mea adiuvent, ubique suppeditabantur, tum Venerabili Praelato de Giuliani doctissimo bibliothecæ Veronensis præfecto. Qui cum audivisset in Italiam me venisse Claudiani codices mss. pervestigaturum, summa cum comitate mihi obtulit illud, de quo infra egimus, Claudiani fragmentum omnium vetustissimum, a nemine dum collatum, simulque opportunitatem præbuit eius libri quam potuit accuratissime executiendi. Sed aliud accedit. Studiis enim in Italia de Claudiano ad finem perductis benigna fortuna collega factus sum collegii Sancti Thomæ, cui ante unum circiter sæculum ille præfuit, qui post Nicolaum Heinsium cum clarissimus fuit Claudiani emendator, tum omnium qui umquam vixerunt longe optimus huius poetæ interpres, amplissimum decus philologorum. Quare quæ scripsi, non tantum volo salutationem haberi eorum, qui læto hoc tempore huc convenerunt, sed etiam, nisi nefas est parvulas quæ secuntur commentationes gravissimi illustrissimique philologi nomine exornare, sacra esse

DIS · MANIBVS
IOANNIS · MATTHIAE · GESNERI

Caput I.

Codex Veronensis n. CLXIII formæ minoris oblongæ, in bibliotheca capitulari eius urbis servatus, initio sæculi noni scriptus est undevicenis vel duodevicenis versibus per singulas paginas distributis. Cuius venerabilis vetustatis causa valde deplorandum est, quod ille nunc misere mutilatus habetur nec minus a fronte quam a fine maxime decurtatus; deinde quod ipsæ litteræ temporum iniuria ab initio potissimum ita evanuerunt ut, cum ammonii hydrosulphurati aliusve medicamenti usus non concederetur, summa oculorum contentione vix a me dignoscerentur. Nunc quidem quattuor tantum fasciculis codex ille constat octona folia complectentibus, et præterea tribus foliis singularibus, quæ priorem particulam quinti fasciculi fuisse veri simile est. Incipit autem primus ex illis fasciculus a versu 34 Claudiani idyllii quod Magnes inscribitur, a Gesnero, cuius numeris infra

semper utar, numero XLVIII signatum. Secuntur carmina n. XLV, L, LI, LII, XXXIX, LXXIV, LXXVII, XLVI, C, LXVIII, XLIII, XLI, XLII, XCV, XLIV, carmen de Phoenice quod vulgo Lactantio tribuitur, LXXXI, LXXVIII, XCH, XCI, LXXXIV, LXXXIX, LXXXII, LXXXIX, XC, LXXX, XL, XXXII, laudes Herculis, LXXII, LXXIII, LXX, LV; deinde disticha Catonis hac inscriptione praemissa: INŌP. DICTA MARCI CATONIS AD FILIVM SVVM, quae quidem cum sub finem codicis, quem mutilatum esse diximus, legantur, valde truncata sunt.

Mitto nunc de auctoritate disputare, quam sua sponte apparet ei codici tribuendam esse, quo vetustior inter Claudiani libros mss. alius nullus exstet; qui enim adhuc pro antiquissimo habebatur, Vaticanus n. 2809 — ad quem praeter excerpta Frisingensia¹⁾ in codice Monacensi n. 6292 exstantia iam accedit alter ille eiusdem aetatis Bruxellensis n. 5381 a me nuper primum in lucem prolatus et excussus (v. F. Ritschelii Acta soc. phil. Lips. I p. 379) — saeculo undecimo scriptus est. Liceat igitur nunc primum de quattuor aliis rebus agere, quae cum novo codici Veronensi debeantur, sat gravis momenti sunt.

Inter priora enim huius libri carmina reperimus etiam carmen n. C (880 in Riesii Anthologia), quod in editionibus inscribitur 'In Sirenas'. Protulit illud cum 'laude Christi, miraculis Christi, laudibus Herculis' primus Ioannes Camers in Claudiani editione. Neque vero postea cuiquam ante me contigit, ut quamvis multis bibliothecis, a N. Heinsio potissimum, pervestigatis ullum illius carminis manu scriptum exemplar reperiretur. Itaque etiam recentissimus editor Alexander Riese in Anthologia non potuit illud nisi in eorum numero referre, 'quae libri tantum typis descripti exhibent'. Codex autem Veronensis hoc carmen non modo tradit saeculi noni manu exaratum, sed inscriptionem quoque addit ab eadem manu profectam: EIVSDEM (h. e. Claudiani) IN SIRENAS. Quare cum et metrum optime currat, neque sententia totius carminis Claudiani Musa esse indigna videatur, siquidem cetera quae sub Claudiani nomine circumferuntur carmina minora praeter christiana pro spuris haberi nequeunt, ne illi quidem in Sirenas versus ullo ut puto iure a Claudiano abiudicabuntur.

Non minoris momenti, eis potissimum qui in poetarum latinorum emendatione versantur, illud est, quod aetas codicis Veronensis integro saeculo superat librum Vossianum Q. 33, qui adhuc veterrimus fons habitus est eorum, qui Lactantii de Phoenice carmen ad nos prodidit. Nec tamen hoc quidem placet nunc pluribus persequi, cum amicus quidam, omnibus quibus opus est codicum mss. subsidiis affatim instructus, hoc munere mox accuratius, quam hic fieri possit, functurus sit. — Paulo autem copiosius hic liceat tertiam laudem Veronensis libri, eamque etiam insigniorem, illustrare.

Est enim ille solus, qui praeclarissimum de laudibus Herculis carmen contineat, quod post Camertis editionem, vetustis libris mss. se usum affirmantis (cf. Gesneri proleg. p. XXVII) usque ad hunc diem in nullo unquam codice a quoquam repertum est. Itaque

1) De his excerptis, quae quatenus ad Tibullum pertinent, recenti memoria saepius edita sunt, mox accuratius alio loco agam.

cum nunc demum certum idque vetustissimum emendationis fundamentum nacti simus, tamen haud scio an etiam gravius hoc sit, quod olim a Camerte prolata inscriptio '*Claudianae laudes Herculis*' iam prorsus confirmatur: est enim etiam in libro Veronensi manu prima adscriptum *eiusdem* (h. e. Claudiani) *laus herculis*.

Iam vero cum etiam versus huius carminis tam commode et eleganter fluant, ut versatissimus in hoc genere Lucianus Muellerus in libro quem 'de ré metrica' scripsit p. 57 illos vel antiquiore quam Claudianea aetate dignos iudicet, profecto non est cur huius ipsius poetae carmen esse negemus: quod quidem viri docti haud dubie propterea tantum concedere dubitarunt, quod praeter ignotissimam Camertis editionem nemo umquam manu scriptum codicem vidisset. Vana igitur Wernsdorfii hariolatio habenda est carmen de Hercule Nemesiano tribuentis: ut enim aliarum, quas ille sibi finxit, causarum infirmitatem omittam, nunc saltem, quantumvis veteris elegantiae metra spirent, antiquiori aetati certissimus testis codex Veronensis repugnat, cui criticas de hoc poeta quaestiones omnes ut firmissimo fundamento superstrui necesse est. Nec vero eis adstipulandum est, quae Baehrensius nuper in satura critica, quae inserta est Fleckeiseni Annalibus a. 1872 p. 53 protulit, ut carminis illius scriptorem fuisse aliquem aequalem Claudiani, quamquam aetate paullo minorem, demonstraret, qui quidem praefationem istam, quae in editionibus male praepositur alteri de raptu Proserpinae libro (cf. Acta soc. phil. Lips. I p. 359), ante oculos habuisset. Nam tantum abest ut poeta carminis de laude Herculis in enumerandis rebus ab Hercule gestis eundem ordinem sequatur, quem Claudianus in praefatione illa¹⁾ instituit, ut contra post partus narrationem inde a versu 73 ab interfecto leone Nemeaeo incipiat, cum in praefatione taurus Cretensis et Cerberus iam praecesserint nec minus in transcurso v. 12 equi Diomedis commemorati sint. Ergo poetam laudis Herculis non est veri simile Claudiani praefatione usum esse. Quod autem Baehrensius contendit Claudiani imitationem in eo conspici, quod et in carmine de laude Herculis v. 67 et in Claudiani de IV cons. Hon. v. 337 flumina frigore densata '*haerere*' dicuntur, de eo vereor ut viro docto quisquam adsentiat, ut quod solo casu evenisse possit. Multo profecto plus valet, quod totum carmen ubique Claudiani indolem spirat. Eandem ante oculos habemus tenuem singularum rerum enumerationem istam, quam Claudiani Gigan-

1) Praefatio Claudianea ubique redolet mythographorum latinorum graecorumque lectionem, qui duodecim illos clarissimos Herculis labores '*athla*' nomine inscriptos inducunt eisque ut '*parerga*' subiungunt quae praeterea heroi tribuuntur: id quod unumquemque vel leviter inspectae Westermanni, Stauereni, Bодii editiones docent. Etiam in praefatione nostra praecedunt maiores labores, secuntur parerga exceptis malis Hesperidum (v. 45 scribendum est cum codd. *te maxima Thetis*, cf. Acta soc. phil. Lips. I p. 364 et Heinsiana in Claudiani ed. Burn. ad h. l.). Mirum est, quod v. 40 Antaeus commemoratur, cuius interfectio pertinet ad parerga, Angiae vero stabula omittuntur. Quamquam enim novimus ex carmine quod exstat in codice Salmasiano (n. 12 apud Riesium) illum laborem posteriore tempore uberius tractatum esse (cf. Claud. in Ruf. I v. 284 sqq.), unde facile concludas tralatum esse ad ipsa athla, tamen veri persimile videtur in praefatione Claudianea unum distichon excidisse. Cui rei minime obstat, quod in Actis I p. 379 de folio diximus, in quo praefatio descripta erat in archetypo: nam pro 52 versibus habeamus 54, qui si inscriptionem et subscriptionem addideres, etiam facilius quam illi 52 per binas paginas undetricenis versibus constantes distribuuntur.

toniachia exhibet; eodem modo deorum eorumque qui olim vixerunt (cf. laud. Here. v. 60 sqq.) res opponuntur rebus gestis eorum virorum qui a Claudiano celebrantur: cuius rationis in huius poetae carminibus innumerabilia fere exempla exstant (cf. Claud. in Ruf. I v. 278 sqq., d. IV cons. Hon. v. 149 alia). Denique quod Claudianus, quamquam multo largius alioque ordine, suas ipsius sententias tamquam exscribens eadem seu potius similia iterum in carmine de laude Herculis protulit, nihil miri habet, id quod unusquisque ita esse intellet, qui inspexerit argumenta carminum Claudiani de bello Gildonico et libri primi de laudibus Stilichonis v. 246 sqq., in quorum parte item eadem simili modo a poeta efferuntur. Ad quae omnia accedit, quod carmen de laudibus Herculis dubitari vix potest quin in archetypo Claudiani carminum exstiterit: nam quamquam credere licet maius illud de phoenice carmen, quod Lactantio tribuitur, ex alio atque Claudiano codice propter argumenti similitudinem in libro Veronensi additum esse a librario, id quod in tali genere, ut magnus recentiorum codicum mss. Italarum numerus dilucide docet, saepius factum est a posterioribus: omni tamen probabilitate caret librarium, quae sub Claudiani nomine in codice suo profert, non repperisse omnia in uno eodemque Claudiani libro ms. Quae quidem sententia ex aliorum cum Veronensi cognatione infra etiam magis probabitur.

Idem autem etiam externa carminis ratione indicari videtur. Constat illud nunc fragmentum esse versus 137 complectens, quod media in parte post versum 91 lacunam exhibet, ut post alios editores Riesius recte monuit. Valde tamen dubium est, num idem recte statuerit unum modo versum excidisse, cum e sententiarum conexu nihil appareat nisi omnino illic aliquid deesse, neque numerus versuum qui desint ulla cum confidentia certius definiri possit. Per se utrumque cogitari potest, aut unum versum excidisse aut plures. Rem tamen accuratius perpendentibus plures, fortasse quinque, versus excidisse multo veri similis videbitur, ut fragmentum carminis tale quale nunc exstat ita evaserit ut librarius quinque tantum codicis archetypi paginas describeret, quem undetrices versus in singulis paginis habuisse docuimus in Quaest. crit. p. 28 sqq. et in Actis I p. 378 sqq.), sive iste iam mutilatus erat, sive librarius temere folia evolvens finem carminis oculis praeteriit. Si enim ad illos qui supersunt versus 137 quinque addiderimus, qui post 91 librarii incuria exciderint, ac praeterea inscriptionem quae trium versuum spatium complexa est (cf. Acta p. 379, 14), apparet fragmentum accuratissime distribui posse per quinque quas diximus archetypi paginas. Nec tamen totam istam ratiocinationem tamquam certam vel saltem veri persimilem in medium protulisset, nisi alia eaque certissima eiusdem rationis exempla praesto essent, sicut epithalamii Laurentii et clarissimum illud carminis de Aetna fragmentum: de quibus satis a me actum est locis supra scriptis. Simul autem sic facillime intellegitur, quomodo factum sit ut, postquam temporum iniuria archetypus magis magisque mutilatus est, eodem modo, quo duo quae diximus carmina in aliis quibusdam codicum classibus, quae non pendeant e Veronensi libro, exciderunt, carmen de laude Herculis in eisdem omnino omitteretur. Hinc igitur magna cum probabilitate efficitur laudem Herculis ab antiquissimis temporibus sub Claudiani nomine esse circumlatam.

Quarto denique loco codex Veronensis propterea laude dignus est, quod etiam disticha Catonis praebet manu uno fere saeculo vetustiore exarata, quam qua Turicensis liber scriptus est, quem viri docti pro vetustissimo adhuc habuerunt: cf. Zarnckii disputationem 'der deutsche Cato' (ed. a. 1852) p. 170 sqq.

Iam vero ad propositum accedamus, cui hanc quaestiunculam praecipue inservire volui: ut inquiratur in cognationis rationem, quae inter librum Veronensem atque ceteros Claudiani codices intercedat, qui in vetustissimis et praestantissimis recensentur. Qui quidem sunt Vaticanus n. 2809 [V], Gyraldinus seu Lucensis [G], Ambrosianus M. 9 sup. [A]. Quamquam autem de Vaticano et Gyraldino data occasione etiam accuratius quam adhuc a me factum est agere licebit, nunc tamen huius quidem disputationis lectores ad ea relegare satis habeo quae dixi in Quaest. crit. p. 7 sqq. et 13 sqq. Et hoc quidem postremo loco quae olim scripsi, nunc non sine aliqua voluptate memoro plane confirmata esse, postquam contigit mihi ut excerpta Lucensia in Italia ipse conferrem et transcriberem. Aliter autem res se habet in Ambrosiano codice recte aestimando. Quem etsi Heinsius cum plurimis qui exstant codicibus emendando Claudiano adhibuit, tamen nusquam quidquam de eo rettulit, ut ante omnia ipsa codicis descriptione opus sit.

Est vero ille membranaceus formae octonariae, saeculo XIII exaratus¹⁾, constans duabus partibus plane inter se diversis eamque ob causam accuratissime discernendis. Prior pars continet maiora Claudiani carmina hoc ordine: libros in Rufinum, carmen de bello Gildonico, libros in Eutropium, Fescennina, epithalamium Honorii, carmina de III et IV Honorii consulatu, de Theodori consulatu, tres libros de laudibus Stilichonis (in his versus qui sunt I, 152 — II, 320 disturbatis fasciculis exciderunt), carmina de VI Honorii consulatu, de bello Getico, (in quo post versum 239 ei versus secuntur, qui in laudibus Stilichonis omissi erant). Hic prior codicis pars finitur. Subscriptum est: *'Explicit de titulis theodosiorum honori et stiliconis. andreas scripsit cui prospera queque dies sit.'* Deinde dimidia pagina vacua relicta a novo fasciculo incipit altera libri pars eodem saeculo manuque priori simillima exarata. Qua in parte altera carmina hoc ordine, quem numeris Gesnerianis indicabo, leguntur, accuratissime illo quidem cum eo, qui codicis Vaticani²⁾ proprius est, conveniente: XL, XXIX, XXXIX, LH, XLIV, XLVIII, XLIX, XLVII, LXXIV, XXXVII, XCV, LI, LXXV, LXXVI, LXXXVIII, LXXVII, LIII, tum versus ille *'nectareo nuro dulces cinguntur arenae'*, XLVI, LXX, LXXI, LV, LXXII, LXXIII, XLI, XLII, epithalamium Laurentii, de Liberalibus, laus Martis, LVI, LVII, LVIII, LXII, LIX, LX, LXI, XXX, XXXI, XCIII, XCIV, LXXXIII, LXXX, XLIII, LXXXV, LXXXI, XLIV, LXXXVI, LXXXVIII, LXXXVII, LXIX, XLV, XCII, XCI, LXXXIV, LXXIX, LXXXII, LXXXIX, XC, L.³⁾

1) Non recte hunc codicem Schoenius in Mus. Rhen. XXIV, p. 126 saeculo XII tribuit.

2) In Quaest. crit. p. 8 versu octavo numerus 'LXXXIII', qui tantum operarum errore irrepsit, delendus est.

3) Secuntur nonnulla aliorum scriptorum scripta, quorum extrema particula iure tribuitur saeculo XII: unde error de totius codicis aetate (cf. adnot. 1) ortus esse videtur.

Hae codicis Ambrosiani partes priusquam in hoc unum volumen coniungerentur, duo erant libri omnino diversi, id quod imprimis ex eo apparet, quod alterius partis singulis fasciculi duodenis, prioris vero octonis tantum foliis compositi sunt.

Prior libri Ambrosiani pars omnino tribuenda est recentiori classi, e qua nihil proficit Claudiani emendatio (cf. Quaest. crit. p. 34 sqq., ubi hanc classem [Z] signavimus). Quod quidem statim praefatio demonstrat carmini de bello Gildonico praemissum, atque carminum series, quae plane eadem est atque in codice Helmstadiensi n. 499 eiusque affinibus libris (cf. Quaest. crit. p. 10); idem autem docent ipsius scripturae discrepantiae, qua de re brevi tempore alibi agam accuratius. Aliter iudicandum est de altera Ambrosiani codicis parte. Ad quam ea spectant, quae Luciani Muelleri de epithalamio Laurentii disputatione nisus (cf. l. c. p. 27), tunc quidem nondum satis accurata ceterarum codicis partium notitia instructus, de communi V et A codicum fonte dixi: ut hic opus non sit uberiore sententiae meae confirmatione.

Omitto nunc quinque illa carmina, quae in V et A solis exstant, epithalamium Laurentii, de Liberalibus, laudem Martis, de Iunonalibus¹⁾, de hippopotamo, de aquila (n. 742. 751. 749. 752. 748 apud Riesium): satis est codicis V descriptionem respicere, quam Quaest. crit. p. 8 dedimus, eamque comparare cum eis quae supra de A diximus. Plane enim patet carminum ordinem, quem ne simili quidem ratione in ceterorum codicum ullo inveneris, in A et V omnino fere eundem esse; nam tota, quae inter utrumque intercedit, differentia haec est, quod n. XL et XXIX in V alio loco atque in A leguntur, illo quidem interiecto inter XLVI et LXX, hoc vero inter LXXIII et XLI; deinde quod in V inter XLII et epith. Laur. interposita sunt maiora de Theodoro et in Eutropium carmina.

Iam vero A non potest descriptus esse ex V, quamquam ille duobus saeculis post V exaratus est: non tam propter leves istas quas modo tetigimus carminum ordinis mutationes (— talia enim librarii saepissime suo arbitratu instituerunt —), quam propterea quod carmina LXXX—L in A leguntur, a V plane absunt, neque quidquam in hoc codice excidisse constet ex eis quae l. s. s. exposuimus. Confirmatur hoc singulis quibusdam locis, sicut epith. Palladii v. 91, ubi V v. 91 et 92 sine lacuna omittit, cum A eosdem servet; item XLVIII, 20—21, de quibus versibus idem valet.

Qui libros A et V scripserunt, haud dubie ex uno eodemque fonte diversis temporibus hauserunt. Quod quidem praeter cetera probant lacunae, quas illi ex omnibus Claudiani codicibus soli offerunt. Sic XLVI, 10, ubi editiones uno versu breviores sunt optimis libris:

A tactu confixa suo [lacuna]

Qui tetigere iacent.¹⁾ successu leta resurgunt;

item LI, 15—20, LXXVII, 5—6, 9—10, 13—14.

1) Hoc carmine hunc referendum est, quamquam non legitur in A, cum in hoc codice lacuna per quattuor versuum spatium pertinens exstet, omnia vero carmina in V et A eundem ordinem teneant, ut supra accuratius persecutus sum. Apparet hinc, quo tempore exemplar quod sequebatur suum librarius codicis A transcripsit, quaedam in illo iam non sat certo vel distincte legi potuisse.

2) Pro iacent A praebet nocent.

Accedit frequens singulorum vocabulorum iactura, quae *V* et *A* sine ullo lacunae spatio uno tenore tradunt: qualia in epithalamio Laurentii potissimum atque in carminibus de Liberalibus et de laude Martis unusquisque facili negotio ipse colligat e Riesii apparatu critico ad Anthologiam congesto. Quibus in carminibus si *A* plerumque plus omittit quam *V*, eo tamen vis illius argumenti non debilitatur: immo ita etiam magis illud probatur, quod de externa codicis, unde *A* derivatus sit, indole ut temporum iniuria paulatim depravata in transcurso iam diximus p. 50, 1.

Eandem codicum *V* et *A* artissimam cognationem confirmant discrepantes scripturae, quae pari prorsus in utroque libro ratione a scripturis codicum recentioris classis [*Z*] recedunt. Exemplo esto qui sequitur brevis scripturarum conspectus, in quo quae recentiorum codicum sunt praeponimus.

Epith Pall. v. 10 Pennati passim] Passim pennati *VA*; v. 17 lucum] lucos; v. 18 Spectandi] Inspectant; v. 32 nullum] nullis; v. 40 lapsu] flatu; v. 50 tantae] tandem; v. 55 primae] cuncte; v. 56 morantem] morari; v. 86 cuneosque recenset] constringit in unum; v. 87 constringit in unum] cuneosque recenset; v. 102 sumit velamina] reddit miracula.

Iam vero postquam quam brevissime demonstravimus ea, quae olim de cognatione codicum *V* et *A* diximus, re vera ad alteram codicis *A* partem totam pertinere neque ad solum, quod in ea legitur, epithalamium Laurentii, redeamus ad ipsum codicem Veronensem [*Φ*].

Ordinem carminum si conferimus cum ordine codicis *A*, qui a n. XCII usque ad XC in utroque codice plane idem est, apparet cognationem quandam inter *Φ* atque classem *A* et *V* codicibus repraesentatam intercedere. Attamen accuratius singulas codicis *Φ* scripturas respicientibus facile apparet multo artiore illum vinculo cum codice Gyraldino [*G*] quam cum *V* et *A* coniunctum esse, itaque illam carminum ordinis similitudinem pro tali tantum universae cognationis argumento habendam esse, quo demonstraretur (quantavis in aliis rebus diversitas inter *Φ* et ceteros Claudiani codices intercedat) etiam *Φ* ad eundem librum archetypum referendum esse, unde omnes Claudiani codices fluxerunt. Quae quidem sententia multo certior eo fit, quod carmina n. XCII—XC recentior quoque classis [*Z*] eodem quo *A* et *Φ* ordine tradit. — Quam vero verum sit, quod de *Φ* et *G* diximus, luculenter demonstrabit scripturarum conspectus quem infra posui, ita quidem institutum ut praepositis scripturis codicum *Φ* et *G* subiiceremus quas *V* et *A* praebent.

XLVIII, 46 tristis *Φ*, tristes *G*] strictis *VA*; v. 47 solvit] mollit; v. XLV, 13 Alba subattraxit *G*, Albas ubi traxit *Φ*] Altera sutraxit (*sic*) *A*¹); v. 28 furit] fuit; v. 31 iactus] tractus; v. 38 taurino viscere] taurinos mittere; L, 12 aere tremor *Φ*, ere tremor *G*] ore tremor; v. 27 superbae] supernae; LI, 5 nullis] longis; v. 9 longinqua] doctique; v. 13 currum] gressum; XXXIX, 29 eadem] ea mox; v. 50 flecteris] frangeris; v. 54 et spoliis] egregiis; v. 55 saeviat] irruat; LXXIV, 6 relegam] laedam; v. 8 solito] iusto; v. 20 quodlibet] quicquid ab; LXXVII, 5—6 leguntur in *Φ G*] desunt in *VA*; v. 7 ferox]

1) Deest hoc carmen in *V*.

ferus; v. 9—10 *leguntur* in Φ G] *desunt* in VA ; v. 11 vincant dolia fusa sitim] perpetuo dolia vina fluant (vini A); v. 13—14 *leguntur* in Φ G] *desunt* in VA ; XLI; 19 moraturusque] solaturusque; XLII, 11 penitus] vates; XLIV, 22 super] simul; v. 56 iacit Φ , iacet G] tacet (in A corr. man. sec. iacet); v. 74 tendit] pergit; Gigant. v. 31 rescindite turres] restinguite turbas; v. 89 viro toto] velut tuto; v. 91 petit] ferit.

Hinc cum plane eluceat dubium esse non posse, quin codices Φ et G simili modo atque V et A singularem classem constituent, quae quidem, ut in Quaest. crit. p. 20 sqq. demonstrasse videor, cum classe VA ad eundem librum archetypum revocanda sit, tamen quoniam diversitas quaedam inter singulos utriusque classis libros intercedit, iam ad alteram quaestionem pervenimus, utrius in duabus illis classibus codicis ad emendanda Claudiani verba potior esse auctoritas videatur.

Quod autem ad VA attinet, hanc quidem quaestionem ipsa codicum aetas facile decernit; nam cum V tribus saeculis vetustior sit libro Ambrosiano, per se patet hunc illo inferiorem esse auctoritate neque a V nisi summa cogente necessitate esse discedendum. Ut uno verbo dicam, codex A in eis carminibus, quae etiam in V exstant, inter emendationis fontes tantum secundarium locum tenet.

Multo difficilius est de altera classe Φ G iudicare cum de codicis G dudum deperditi aetate omnino nihil constet, de plurimis autem scripturis tantus inter Φ et G intercedat consensus, ut multo subtilior quaestio oriatur. — Codicem G non esse descriptum ex Φ , olim fortasse pleniore quam hodie exstat et alia quoque Claudiani carmina continente, statim ex illius carminum ordine elucet, quem ex altera excerptorum Lucensium parte, quae codicis Lucensis seu Gyraldini descriptionem praebet (cf. Quaest. crit. p. 13 sqq.) cognoscimus, quique in univsum cum ea carminum serie convenit, quam sequitur codex Helmstadiensis n. 499 (cf. supra p. 50). Neque vero altera ex parte Φ ex G derivari potest, cum nonnulla carmina, velut Lactantii Phoenicem cum aliis, contineat, quae in G non leguntur.

Quae cum ita sint, si de utriusque codicis virtute recte iudicare volumus, nihil reliquum est, nisi ut summa cum diligentia singulis locis omnibus, quibus Φ a V discedit, collatis tanquam mathematicorum ratione scripturas numeremus, quibus alter codex alterum superet.

Atque primum sedecim loci in promptu sunt, quibus Φ verum praebeat, G vero ita corruptus sit, ut ne intellegi quidem quae exhibet possint: XLVIII, 38 Pronuba fit natura Φ] Pronuba frenatura G ; XLV, 24 Et consanguineis] Et cum sanguineis; v. 36 capris] captis; L, 21 figuret] figeret; v. 15 erigit (corr. ex eregit)] egerit (exserit *edd.*) XXXVII, 108 ira] idam; v. 119 veneranda] venerandę; XXXIX, 17 Darium] Et Darium; v. 23 sequitur] sequiturque; XLII, 9 prisce sententia vatis] socii s. v; XLIV, 7 Haec] Nec; v. 36 Iam breue] Iamque ubi; v. 59 odoratus taelis (= telis)] od. stellis; v. 90 centumpue immane] fultumque immane; LXVIII, 13 tonitru Salmonea miror] tonitru natura movemur; LXXXIX, 1 dirusque Cupido] rursusque Cupido.

Accedunt nonnulli loci, quibus Φ ad veram scripturam paulo propius quam G accedit. Sic XLV, 46 *sydona* Φ pro '*Cydonas*', cum G cum recentioribus libris *ciconas* prodat. Idem cadit in LXXXI, 4. Hic enim Φ cum aliis scribit *sic me meus implet*

Apollo, cum in *G* legatur *smirneus implet Apollo*, id quod omni sententia caret neque quidquam aliud est nisi librarii aberratio ad carmen LXXXV, quod sequitur in *G* carmen LXXXI et sic inscribitur: DESCRIPTIO (sic) PORTVS SMYRNENSIS. At vero ne codicis Φ quidem scriptura *sic me meus implet Apollo* sententiae epigrammatis respondet, quae haec est: ‘omnia, quae Apollo edicit, per se sunt carmina; idem mihi non contigit, sed ego carmina tantum edo, cum Apollo meus mihi hoc concedit.’ Ergo decora modestia poeta deo artis poeticae sese opponit. Atqui cum legamus: *Carmina sola loquor: sic me meus implet Apollo*, ita quae evadit sententia, plane contraria ei est, quam poeta vult exprimere. Ergo interpunctione post *loquor* in virgulam mutata haud dubie pro *sic* scribendum est *si*, qua lenissima mutatione ea ipsa, quam modo desideravimus, sententia existit.

Neque desunt loci, quibus quamquam *G* non caret sententia, Φ tamen propterea praefendus est, quod scripturam elegantiore pauloque magis conexui sententiarum accommodatam quam alter codex, praebet: velut LXXVII, 3, ubi *defendat*, quod in Φ legitur, praefendum est *prae sustentet*, quod *G* exhibet cum recentioribus; nec minus XLVI, 19, cuius versus sententiae *vinctura* (Φ) melius respondet quam quod nunc in editionibus legitur *tentura* (*G*). Ad quem locum hoc quoque tamquam in transcurso commemoro, *absentem* participium, quod legitur initio versus 19, nullam habere offensionem, id quod sibi finxit Burmannus, non perspicuus ille quomodo piscator hamum tenens dici posset *absens* a flumine, cui adstaret piscandi causa. Negari quidem non potest Claudiani elocutionem hic paulo inusitatior esse, ut quispiam respiciens Horatii locum (A. P. v. 362) *si longius abstes* facile coniciat scribendum esse *abstantem* pro *absentem*; nam quod Burmannus profert, *abstantem* plane esse contrarium sententiae quae hic desideretur, sua sponte apparet, cum de torpedinis vi hostem quam longissime remotum arripiente agi nemo, qui idyllium illud perlegerit, non videat. At vero Burmannus loquendi usum Claudiani non satis cognitum habuit; nam *absesse* verbum eodem prorsus, quo hoc loco, sensu poeta etiam in alio carmine posuit: LI, 9 *Absentis longinqua valent praecepta magistri*.

Sed tamen negari non potest etiam in Φ locos corruptos exstare, quos *G* servavit integros. Sic XXXVII, 61 in Φ haec leguntur, plane ea corrupta: *bis aetheriis terra (sic) dedit*, cum *G* multo melius tradat *bis ether bis terra dedit* (editiones cum recentioribus codd. habent *his* pro *bis*). L, 25 scribitur in Φ librario ad ea quae secuntur aberrante: *et nova disparibus paribus discrimina* pro *et nova germanis paribus discrimina*, quae in *G* integra exstant. In XXXIX exitum versus 37 Φ ex aberratione ad vocabulum *quatit*, quod praecedit, sic scriptum exhibet *rhodopaeque* (a superscr. m. rec.) *culmina quassat* pro vera, quam *G* praebet scriptura *rhodopeia culmina lassat*. In eodem carmine codex Φ omittit v. 54, quem *G* habet, nisi quod is *et spoliis* pro *egregiis*, quod in editis legitur, scribit et *opinis* pro *opimis*. XLI, 13 in Φ legitur *iam det* pro *condet*; ibid. v. 16 Φ omittit *se* pronomen: quo utroque loco *G* veram scripturam servavit. Ad haec denique gravissimum illud accedit, quod iam tetigi in Quaest. crit. p. 26 sqq.: in lacunoso enim loco carm. XLVI, 10 Φ non plus praebet quam Vaticanus codex (*V*) et Ambrosianus (*A*):

Attactu confixa suo

Qui tetigere iacent successu laeta resurgit,

cum *G* lacunam prioris versus suppleat *immobilis haeret* verbis, quae quamquam sententiarum conexum non restituit integrum, tamen antiqua esse et revera ex Claudiani stilo profecta l. s. s. ex Oppiani Halieuticis II, 58 (κείται δ' ἀκρεμφής) intelleximus, ut quem locum hoc in carmine ita imitatus sit latinus poeta, ut nonnulla in suum sermonem verbo tenus converteret.

Haec igitur omnia ubi accurate perpenderit, tamquam quadam necessitate eo pervenimus, ut Φ et *G* codicibus auctoritatem plane parem esse concedendam intellegamus. Sunt quidem tales loci, quibus Φ meliorem esse codice *G* appareat, aliquanto plures eis, quibus e contraria parte *G* codicem Φ superat; neque tamen, cum hi omnes talium errorum, qualibus ne optimi quidem librarii carent speciem prae se ferant, eam illi vim habent, ut codex *G* credendus sit in codicum mss. familia universa uno tamquam gradu inferior quam Φ esse. Accedit, quod ex scripturarum conspectu, quem supra proposuimus, etiam hoc alterum satis plane intellegitur, codicem *G* nonnulla continere, quae in eo omnino non legerentur, nisi ille ex libro ms. fluxisset, cuius eadem aetas eademque auctoritas atque codicis Φ esset. Ergo in emendandis Claudiani carminibus, si qua nobis illorum codicum discrepantia offertur, uterque iuxta audiendus est in eoque elaborandum, ut ex utriusque coniuncta interque se diligenter comparata pensitataque memoria pristina scriptura reconcinnetur.

Iam vero ut ad finem totius quaestionis nostrae perveniamus, hoc restat explorandum: quae inter duas illas codicum stirpes ratio intercedat, quarum altera *V* et *A*, altera Φ et *G* codicibus repraesentatur, quoque modo ad Claudiani emendationem adhibendae sint. Ut nunc taceam de aetate codicis Φ duobus circiter saeculis libro *V* vetustioris, cuius rei notitia, cum 'Quaestiones criticae ad emendationem Claudiani panegyricorum spectantes' scriberem anno 1869, nondum mihi in promptu fuit, etiam ex scripturarum conspectu illo, quem supra (p. 51) proposui, facile idem elucet, quod iam l. s. s. statuebam: codicem *G* sive, ut iam dicere licet, *G* et Φ ab archetypo propius quam *V* et *A* abesse. Ergo sicubi aliquid habet Φ vel *G* quod defendi possit, hoc relinqui non licet, nisi in certas artis criticae leges peccare velimus.

Caput II

quo a rerum adhuc tractatarum inevitabili exilitate ad novam eamque aliquanto floridiorum disputationem transituri eramus, cum propter temporis angustias, quamquam chartis integrum mandatum, iam non posset etiam typis exscribi, decrevimus illud propediem in Museo phil. Rhenano cum eis, quibus hoc litterarum genus curae est, communicare. Versabitur id autem in quaestione non infructuosa ut putamus: ut, qua aetate dispersa Claudiani carmina in unum corpus esse collecta videantur, investigetur probabiliterque definiatur.
